

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS.
Theol. D. ... Ad Exequias, Quas Matronae honestissimae Margaretae
Hagemeisters/ Vir ... Dn. M. Adamus Seidenschwantz/, Scholae oppidanae
Subrector dignissimus, Viduus maestissimus, Hodie ad horam 1. paratas cupit,
Omnes omnium ordinum Cives Academicos studiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522802>

Druck Freier  Zugang



Mauritius, C.,
in M. Hagemester,
uxor. A. Seidenschwantz.

R. 1651.

86.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777522802/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522802/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777522802/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522802/phys_0004)

DFG

121.

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
CASPARUS MAURITIUS,
S. PETRI. D. ejusdemq; P.P. & Eccles.
Ad Exequias,
Quas
Missa honestissimæ
MARGARETÆ
Hagemesters/

*Vir Eximus & Præstantissimus
Dn. M. ADAMUS Seidenschwang,
Scholæ oppidanæ Subrector dignis-
simus, Videlus mestissimus,
Hodie ad horam i. paratas cupit,
Omnes omnium ordinum Cives Acade-
micos studiose invitat.*

(S)O
ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr. 1651.

219



Ria esse justiciæ genera Dio-
genes Laërtius affirmat, quorum
primum Deo, alterum vivis, ulti-
mum mortuis debeatur. Deus ado-
randus est, homines diligendi, mortui sepeliendi.
Honor sepulturæ maximus est, qui haberi mor-
tuó potest, inquit Cicero. Et hic honos mortuo
jure debetur omnium gentium communi. Quod
si enim natura apes, hirundines, formicas, grues,
elephantos, accipitres, leones docuit suorum se-
pelire cadavera, multo minus mirandum est, gen-
tes immanitate barbaras ex residuis imaginis Dei
in mente igniculis didicisse, hominem non in vita
tantum, verum morte quoq; honorandum, quip-
pe animalium omnium longè præstantissimum,
& compendium quoddam orbis universi. Verum
quidem esse non diffitemur, extitisse nonnullas
gentes, qui tantum abest, ut honore suorum ca-
davera, ut potius ignominia affecisse dicendæ o-
mnino sint, si quidem sepultura earundem sanæ
rationis subeat censuram. Quales fuerunt Scy-
thæ, Pontici, Padæi, Hiberni, Massagetae, Derbi-
ces, qui mortuos vel morti vicinos honoris causa
devorabant totos; quibus similes Sidones, Esse-
dones,

dones, Panebi, qui capiti mortuorum parcentes
reliquum cadaver devorabant.

Hircani ad usum alium canes non alebant,
quam ut eis vita functos devorandos objicerent:
quibus similes Caspij, Bactrij, Barchæi, Indi, Per-
ſæ, Parthi, qui defunctos avibus aut canibus lani-
andos exhibuerunt & nuda demum ossa terræ
mandabant. Pœones, Æthiopes, Hyperborei in
aquaſ & paludes, Lotophagi in mare ſuorum ca-
davera projiciebant: Colchi, Tybareni ex arbori-
bus & patibulis ſuspendebant: Troglodytæ lapi-
dibus obruebant, cervicem mortui pedibus alli-
gantes, raptimq; cum jocis & riſu eſterentes: Sa-
bæi corpora defunctorum eo, quo ſtercus, modo
duxerunt, quin & Reges inter ſterquilinia rejece-
runt: Albani deniq; nefas putabant curam gerere
mortuorum. Sed recte nonnemo notat perversas
aliquarum gentium mentes non posse quicquam
ex divina omnium conſenſione pervertere. Cæ-
teræ enim gentes ſepulturæ ſuorum honestæ stu-
diosiſſimæ fuerunt, adeo, ut in bello quoq; & in
ter arma, quando silent leges & jura, ſepulturæ ta-
men jus manſerit illibatum, neq; iplis hostibus
denegata ſit ſepultura. Cæſarem referunt autho-
res caput Pompeji hostis ſui honorifica ſepultura
dignatum eſſe. Pyrrhus Epirotarum Rex, memo-
rante Eutropio, cum mille octuaginta Romanos

A 2

bello

bello captos teneret, vivos summo honore tra-
ctavit, & multos defunctos, licet hostes, honorifi-
cè sepelivit. Quod si Ethnici naturæ lumen secuti
duxerunt honestè suorum cadavera sepelienda,
quanto magis nos, qui majori luce sumus divina
benignitate perfusi, æquum est honorificè sepe-
lire cadavera nostrorum, qui vivi templa fuerunt
Spiritus Sancti, & salutaris gratiæ organa Deo
devotissima? Et tales quidem, cui hodiè exequiæ
parantur, dum viveret, extitisse honestissimam &
Lectionissimam Matronam M A R G A R E T A M
Hagemester / abundè patebit, si quæ de ejus or-
tu, vita & morte accepimus, hic brevi narratio-
ne expediamus. Nata est Anno superioris seculi
octuagesimo secundo, mense Octobri, Patre Vi-
ro Integerrimo, ADRIANO Hagemester / Cive
hujus urbis & Cerevisario: Matre fœmina orna-
tissima E L I S A B E T H Eggers. Avum habuit
Virum Amplissimum & Consultissimum, Dn.
BERNHARDUM Hagemester, Urbis hujus Con-
sulem meritissimum: Aviam vero fœminam lau-
datissimam ANNAM Wölspen. His natam majo-
ribus parentes lavacro regenerationis Christo ar-
bori vitæ inscri curarunt, & quantisper cœtibus
viventium interfuerunt, præceptis pietatis & ho-
nestatis à teneris imbuerunt. Sed vix duodecimū
ingressa ætatis suæ annum Parente utroq; orba
est,

est, & propinquorum fidei concedita, qui ad
summam in ea recte educanda diligentiam nihil
reliqui fecerunt. Anno hujus seculi nono in ma-
trimonium collocata est Viro Præstantissimo &
Doctissimo, Dn. HINRICO CLODIO, Can-
tori Nicolaitano, cum quo vixit quindecim an-
nos conjugio felici, pacato & fæcundo. Nam di-
vina benedictione octo liberorum mater facta
est, quorum quatuor in æterna gaudia præmisit,
quatuor autem adhucdum, ut speramus, supersti-
tes reliquit, Henricum, Pharmacopolam & Ci-
vem Civitatis Schmiedberg/ in Silesia: Johan-
nem, rei navalis Secretarium Sueicum: Annam
Dn. CHRISTOPHORI Krüpers/ conjugem &
DOROTHEAM Dn. PETRI SVERINGES,
Civis & Negotiatoris Gultroviensis conjugem
dilectissimam, ex quibus liberorum quatuor de-
cim avia effecta, quorum quidam vivunt etiam-
num, quidam vivere desierunt. Postquam ergo
maritus primus Dn. HENRICUS CLODIUS,
Anno hujus seculi vigesimo quinto nostræ piè
defunctæ erexit relictis septem impuberi-
bus liberis, Deum nostra maritum & veri nomi-
nis patrem sensit, cuius divina dispositione porro
factum, ut Anno 1626. mensis Februarij die XXIV.
matrimonio copularetur Viro Eximio & Præ-
stantissimo Dn. M. ADAMO Seiden schwang/

Scholæ oppidanæ Subrectori dignissimo & fidelissimo, nunc Viduo mæstissimo. Hoc matrimonium ad plures annos nempe XXV. duravit, prolixi quidem expers, attamen concors, beatum, nec sine solicita educatione liberorum, non suorum tantum ex matrimonio priori, verum etiam aliorum pauperculorum orphanorum, quos unacum marito diligenter in Domino educavit. Neque hic prolixa opus est commemoratione rectè & piè à nostra p. d. factorum, cum neminem ea latere possint. Nempe frequenti auscultatione & devota verbi divini, atq; usurpatione misteriorum divinorum assidua satis testatam, quam corde fovebat, pietatem fecit & in proximum charitatem multis experimentis comprobavit, quæ neminem de ejus sinceritate & fide dubitare sinit. Vitam piam mors placida & Christiana digna sequuta est. Conflictata quidem est his postremis potissimum sex annis, qui exactum annum climaëticum exceperunt, cum variis morbis & doloribus, in primis colicis, qui vitam maximè acerbam reddiderunt. Sed vicit omnia fides in Christum Jesum, authorem, & consummatorem fidei nostræ, per quam effectum est, ut semper parata extiterit ad excipiendam decretoriam horam. Die IX. hujus mensis redeundi

deuntibus summis doloribus, cum & alia acce-
derent symptomata praesertim à calculo vesicæ,
quæ omnem medicinam respuerent, visa est XV.
hujus in placidum somnum labi, adeò, ut quan-
quam accitus Vir admodum Reverendus Dn. M.
CHRISTIANUS MICHAEL, Ecclesiæ Rosto-
chiensis Superintendentis atq; Templi Jacobæi
Pastor dignissimus pariter ac meritissimus, Pa-
rens noster venerandus, preces nostræ p. defun-
ctæ præiret, eamq; ut Christum semper memori
custodiret mente, moneret, visa tamen nostra-
mentis & sensuum usu plane destituta sit, donec
XVII. ejusdem mensis die inter sextam & septi-
mam signa satis manifesta durantis adhuc men-
tis vigoris ederet. Cum enim ab adstantibus ipsi
memoria Servatoris inculcaretur, repetita ter-
affirmatione respondit, & iteratis vicibus in su-
spiria effusa tandem ærumnabilem hanc vitam
circa decimam cum pia placidaq; morte com-
mutavit. Nempe Dominus dedit: Dominus ab-
stulit: Sit Nomen Domini benedictum. Sub-
ducta est infinitis malis, quorum partem aliquam
sentimus, majorem metuendam censemus, ut
sunt humana, atq; è procelloso & undoso mari
in portum beatissimum delata est. Quum-
autem hodie hora 1. exuviae sint terræ quæ est
omnium

omnium nostrum mater, concredendæ, omnes,
qui Jurisdictionem nostram agnoscent, studiose
rogamus & hortamur, ut testandæ sympathiæ &
meditandæ fragilitati communi, funeris deduc-
tionem honorifica sua præsentia & frequenti
exornent ac cohonestent, illudq; aliis præstent,
quod sibi vicissim præstari cupiunt, & utramq;
Rem publicam Custodi Rerum publicarum uni-
co Deo Opt. Max. devotis precibus commen-
dent. P. P. Sub sigillo Rectoratus no-
stri XXII, April. Anno
M. DC. LI.

Conventus fiet in æde Mariana
ad horam primam,





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777522802/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522802/phys_0013)

DFG








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777522802/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522802/phys_0016)

DFG

deuntibus summis dolorib-
dere nt symptomata praese-
que omnem medicinam re-
hujus in placidum somnum
quam accitus Vir admodum
CHRISTIANUS MICHAELIS
chiensis Superintendens a
Pastor dignissimus pariter
rens noster venerandus, pri-
ctæ præiret, eamq; ut Chri-
custodiret mente, monere
mentis & sensuum usu plan
XVII, ejusdem mensis die
mam signa satis manifesta-
tis vigoris ederet. Cum eni
memoria Servatoris inculc-
affirmatione respondit, &
spiria effusa tandem ærum
circa decimam cum pia plu-
mutavit. Nempe Dominus
stulit: Sit Nomen Domini
ducta est infinitis malis, quo
sentimus, majorem metu-
sunt humana, atq; è proce-
in portum beatissimum c
autem hodie hora 1, exuv-



& alia acce-
culo vesicæ,
visa est XV.
ò, ut quan-
dus Dn. M.
siæ Rosto-
poli Jacobæi
ssimus, Pa-
æ p. defun-
er memori
en nostra
sit, donec
am & septi-
dhuc men-
antibus ipsi
e petita ter-
ibus in su-
anc vitam
orte com-
ominus ab-
um. Sub-
em aliquam
ensemus, ut
indoso mari
Quum
rræ quæ est
omnium